

Commentary on the Sentences: Book IV, Question un., Article 2, part 1

edited by Paul Bakker and Chris Schabel.

(edited by Bakker from Paris, BNF, nouv. acq. 1467 (olim Cluny 75), then collated by Schabel against Vat. lat. 1081.

[1] Secundus articulus erat iste: utrum corpus dominicum sub speciebus panis et vini contineatur realiter secundum quamlibet condicionem propriae quantitatis.

[2] Pro cuius articuli declaratione sic procedam. Primo investigabo modum per quem corpus Christi dicitur esse in sacramento, quia unicuique videtur extra rationem quod tam magnum corpus sit sub speciebus modicae quantitatis. Secundo videbo de quibusdam condicionibus quae possunt corpori Christi competere ut est in sacramento. Et tertio de ipsis speciebus et proprietatibus earundem.

<Pars prima>

<Conclusiones septem>

[3] Quantum igitur ad primum **certas pono conclusiones**. Quarum **prima** sit ista: corpus dominicum non existit sub speciebus sacramentalibus sine modo quantitativo sibi intrinseco et essentiali. Ista conclusio ponitur contra imaginationem [274vb] quorundam doctorum^[1] dicentium quod, in conversione substantiae panis in corpus Christi, substantia corporis est primus terminus conversionis, et quantitas se habet ibi concomitanter; nunc autem, quia substantia ex se formaliter non habet modum quantitativum, ideo ex vi praedictae conversionis nihil habet in sacramento modum quantitativum; et ita nec quantitas est ibi modo quantitativo, cum non sit ibi tanquam primus terminus, sed potius se habeat concomitanter, et existit ibi sub modo substantiae, qui formaliter non est quantitativus.

[4] Contra quam positionem, et pro conclusione mea, arguo primo sic: impossibile est aliquid existere alicubi sine eo quod est sibi intrinsecum et essentiali, sive illud sit primus terminus sive primum terminum concomitans; sed secundum ipsos quantitas est in sacramento altaris, saltem concomitanter; ergo impossibile est ipsam ibi existere sine eo quod est sibi intrinsecum et essentiali; cum igitur modus quantitativus, qui est habere partem extra partem, sit quantitati essentialis, sequitur propositum. Consequentia patet. Sed assumptum probatur: nam sive Deus sive natura producat substantiam quantam, ita quod quantitas concomitetur utriusque productionis, primus terminus est substantia, et tamen tam in generato quam etiam in creato est quantitas modo quantitativo; quare propositum.

[5] Et confirmatur, quoniam varia habitudo effectus ad agens, non variat naturam rei intrinsece, sicut, si unus calor producat in aliquo subiecto primo, vel secundo, vel tertio, ista mediatio vel immediatio non variat naturam caloris quin, si sit in subiecto, habeat modum suum. Nunc autem, esto quod substantia sit primus terminus in conversione, et quantitas sit

concomitanter, non propter hoc variatur natura quantitatis quin, si sit in specie sacramenti, habeat modum suum; quare propositum.

[6] Praeterea, per conversionem istam existit terminus ad quem ubi prius fuit terminus a quo; ergo videtur quod modus existendi, saltem utrique termino communis, sit similis utrobique; cum igitur terminus a quo, videlicet panis conversus, erat sub illis speciebus modo quantitativo — nam habebat partem extra partem —, sequitur quod etiam substantia corporis Christi ex vi conversionis huiusmodi erit sub illis speciebus modo quantitativo, habens videlicet partem extra partem; quod est propositum.

[7] Praeterea, dato conclusionis contradictorio, sequeretur quod corpus Christi non esset corpus Christi in sacramento altaris. Consequens videtur falsum; ergo et antecedens. Consequentia sic probatur: quoniam per positionem corpus Christi est in sacramento altaris, et etiam quantitas ipsius, et tamen sine modo quantitativo; ergo sequitur quod corpus Christi est non-quantum ibi, quia sequitur: 'est quantum ibi, ergo est modo quantitativo ibi'; et per consequens ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis: 'si non est modo quantitativo ibi, sequitur quod non est quantum ibi.' Et tunc ultra, sequitur: 'corpus Christi non est quantum in sacramento altaris, [275ra] ergo corpus Christi non est corpus Christi in sacramento altaris.' Consequentia apparet a superiori ad inferius negative; nam bene sequitur: 'non sum animal in istis scholis; ergo non sum homo in istis scholis'; et ita in proposito, quia 'quantum' est superius ad li 'corpus Christi', et ergo sequitur: 'non est quantum in sacramento altaris, ergo non est corpus Christi in sacramento altaris'; quod tamen non videtur verum. Cuius falsitas sic apparet, quia tunc eadem ratione dicerem de quolibet corpore mundi quod esset hic, et tamen non esset corpus hic, quia diceretur: 'non est ibi primo ratione suae quantitatis, sed ratione suae substantiae, quia esto quod sit ibi quantitas, non tamen primo ratione sui.' Et ita faciliter diceretur quod corpus istius tabulae esset in isto loco, et tamen non esset corpus ibi; quod non videtur verum, quia, ut prius dictum est, [\[2\]](#) varia habitudo effectus, non variat suum modum essendi. Et per consequens corpus Christi non est in sacramento sine modo quantitativo.

[8] **Secunda conclusio** est haec: corpus dominicum non existit sub speciebus sacramentalibus per quandam partium subintributionem quousque deveniat ad aequalitatem hostiae consecratae. Ista conclusio ponitur contra imaginationem quorundam dicentium [\[3\]](#) quod virtute divina, sicut duo corpora possunt esse simul in eodem loco, ita similiter potest esse quod una pars sit simul cum alia; et ita partes subintrabunt ad invicem, sic quod in fine subintributionis partium, sive fiat subito sive successive, quantitas corporis remaneret aequalis quantitati specierum; et ita unum corpus sex pedum longitudinis esset in alio valde parvae quantitatis, licet non eo modo quo esset alibi. Et ita putant de corpore Christi in eucharistia.

[9] Sed quamvis iste modus Deo non sit impossibilis, tamen probatur quod non est congruus. Et ex hoc habebitur conclusionis confirmatio: quoniam in quocumque corpore est ordo partium in toto, ibi non est talis partium subintributio; sed corpus Christi in sacramento altaris habet ordinem partium in toto; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et minor probatur: quia si non esset ibi talis ordo, esset partium confusio; et ita esset manus in pede, et caput in ore; et sic Christus in sacramento altaris esset homo monstruosus; quod videtur incongruum.

[10] Et confirmatur, nam ad hoc quod aliquod corpus sit anima intellectiva informatum, requiritur in corpore certa quantitas et debita figura, quia non sub quacumque quantitate secundum condicionem naturalem consistit quantitas corporis humani, vel quod non sit unius

digiti et habeat pedis figuram; ergo cum in tali sacramento nichil sit ponendum quod tollat speciositatem et pulchritudinem talis corporis, sequitur quod corpus huiusmodi in sacramento eucharistiae habet ordinem partium in toto, et ita per consequens distantiam manus a pede; et per consequens ibi non est subintractio partium; quod est propositum.

[11] Praeterea, in isto sacramento, secundum doctores communiter, [\[4\]](#) [275rb] ubi est pars ibi est et totum, et e contra, ut dicit Hylarius, [\[5\]](#) et habetur transumptive IV *Sententiarum*, distinctione 12, capitulo tertio: “ubi pars est corporis, est et totum;” et idem dicitur *De consecratione*, distinctione 2, “ubi pars”; [\[6\]](#) sed posita subintractione, non salvatur quod pars et totum sint in eodem, quia ex quo quantitas corporis Christi est reducta ad tantam quantitatem sicut est hostia, sequitur quod, signata medietate partis subintransantis, quod illa non est simul cum tota, sicut medietas albedinis sacramentalis non est ubi est tota albedo, ut experientia docet, tam in pyxide quam etiam in aere circumfuso.

[12] Esto igitur quod iste modus sit Deo possibilis, tamen non videtur congruus, tum quia non salvat debitam corporis formam, tum etiam quia doctrinae doctorum non videtur conformis; quare propositum.

[13] Tertia conclusio est haec: possibilitas unius corporis in diversis locis, vel multorum corporum in eodem, sufficienter non exprimit corpus Christi existere sub specie sacramenti. Ista conclusio ponitur contra imaginationem Okam. Nam, ut apparet in sua *Lectura*, libro IV, quaestione sexta, cuius sententiam approbat Adam Wdam in sua *Lectura*, libro IV, quaestione quarta, unde ipse ex his duobus, videlicet ex hoc quod unum corpus potest esse in diversis locis, et diversa in eodem, declarat qualiter quaelibet pars corporis Christi est in qualibet particula hostiae, et qualiter omnes sunt in una particula; et ita in quo est pars, est et totum. Possibilitas ipsorum apparet theologo, tum quia anima eadem est in diversis locis, quare et corpus similiter potest esse de Dei potentia, tum quia duo corpora gloriosa possunt esse in eodem loco; ergo et quaecumque non gloriosa. Et ex hiis dicit quod Deus potest facere quod una pars sit in qualibet parte hostiae; et eadem ratione potest de alia, quia potest facere duo corpora in eodem loco; et sic quaelibet pars est in eodem loco cum alia; et per consequens totum est in qualibet parte hostiae, quia ubi est quaelibet pars alicuius totius, ibi est et totum, cum totum non sit aliud a partibus simul sumptis. Et sic apparet secundum suam imaginationem quod ex hoc quod Deus potest facere unum corpus in diversis locis, et plura in eodem, potest facere quod ubi est pars, sit et totum. Unde ex hoc consequenter ponit quod corpus Christi non est in sacramento quantitative, quia ibi non coextenditur pars corporis Christi cum parte hostiae, cum quaelibet pars corporis Christi sit aequaliter in maiori parte hostiae et in minori; et ideo ibi non existit circumscriptive.

[14] Dico igitur quod iste modus non est sufficiens. Quod sic proba: quoniam ex hoc quod unum corpus potest esse in diversis locis, non sequitur quod possit esse in diversis locis quorum quilibet sit minor corpore locato. Et similiter ex hoc quod plura possunt esse in eodem loco, non sequitur quod quodlibet illorum corporum sit [275va] maius loco in quo possunt omnia simul esse. Nunc autem in proposito, posita multiplicatione partium in singulis partibus hostiae, non propter hoc declaratur qualiter partes corporis Christi, quae sunt magnae quantitatis, possunt esse sub partibus hostiae minoris quantitatis quam sint partes corporis Christi; quare propositum. Declaro in exemplo: nam signo unum locum pedalis quantitatis, qui sit *a*; diceret unus quod in *a* loco Deus potest locare mille corpora, quorum quodlibet erit praecise pedalis quantitatis; et similiter posset locare multa corpora minoris quantitatis quam sit quantitas pedalis; sed per hoc non declaratur quomodo posset in *a* loco ponere plura corpora bipedalis quantitatis vel tripedalis; et ideo, posita multiplicatione unius corporis in

diversis locis, vel plurium in eodem, per hoc tamen non sufficienter propositum declaratur, qualiter videlicet corpus tam magnum sit in qualibet particula sacramenti; et per consequens habetur intentum.

[15] Praeterea, non sequitur: ‘in *a* loco est quaelibet entitas quae fuit pars *b* corporis, ergo in *a* est *b* corpus.’ Ista propositio apparet, nam staret quod Deus poneret quamlibet partem in *a* loco sine unione unius ad aliam, quae requiritur ad debitam continuitatem; sicut ex hoc quod duo corpora gloriosa sunt in eodem loco adaequate non propter hoc ex ipsis resultat unum continuum, ita staret quod omnes partes unius corporis essent in *a* loco absque hoc, quod inter eas esset unio, quae requiritur ad continuitatem; et per consequens ibi non esset tale corpus. Et tunc ad propositum: ex hoc quod omnes partes corporis Christi ponerentur in eodem loco, sive in eadem particula hostiae, non propter hoc haberetur quod corpus Christi esset ibi; et per consequens ex multiplicatione partium in diversis particulis hostiae, et ex ipsarum positione simul in una particula, adhuc sufficienter non exprimitur quod ubi est totum ibi est quaelibet pars, et e contra; quare propositum.

[16] Praeterea, contra hoc quod dicit quod ibi partes non sunt quantitative sunt rationes contra primam opinionem adductae, pro confirmatione primae conclusionis. Et potest adhuc sic argui: aut per li ‘non esse ibi quantitative’ intelligit quod partes corporis Christi non commensurantur a partibus specierum, eo modo quo locatum dicitur circumscribi a loco, aut quod corpus Christi non sit ibi secundum propriam quantitatem, ita quod ibi non habeat quantitatem, aut quod habeat ibi quantitatem, sed non modo quantitativo. Si intelligit primo modo, ibi non est difficultas, quia hoc omnes supponunt. Si vero secundo modo, hoc est contra eum, quia substantia corporea est essentialiter quantitas; et per consequens non potest esse alicubi sine sua quantitate, sicut non potest esse alicubi quin sit substantia corporea. Si vero tertio modo: hoc videtur impossibile quod aliquid sit alicubi sine suo modo intrinseco et essentiali, quia quam intrinsecum est substantiae substantialiter existere tam intrinsecum est quantitati quantitative existere; sed impossibile [275vb] videtur substantiam existere et non substantialiter existere; ergo et similiter impossibile est quantitatem existere et non quantitative existere; et per consequens, si quantitas corporis Christi ponatur in sacramento, non est ibi sine suo modo intrinseco et essentiali; quare propositum.

[17] Sed forsitan hic dicitur quod per li ‘quantitative’ intelligitur habere partem extra partem; quod non videtur intrinsecum quantitati, sed solum est sibi intrinsecum habere partes; utrum autem una sit in alia, et e contra, vel una extra aliam, hoc non per se competit quantitati, sed solum per accidens; et ergo diceretur quod li ‘quantitative’ potest sumi dupliciter: uno modo prout dicit habere partes, nihil aliud connotando, et hoc est intrinsecum cuilibet quantitati, et ubicumque est, habet illam condicionem; alio modo sumitur prout dicit habere partem extra partem, vel partem in parte, et isto modo est sibi extrinsecum. Diceretur ergo quod in sacramento corpus Christi non existit quantitative prout li ‘quantitative’ dicit habere partem extra partem; et iste modus non est intrinsecus quantitati, sed extrinsecus quoad ordinem divinae omnipotentiae, licet non quoad ordinem causarum naturalium; et per hoc nihil haberetur contra positionem.

[18: -17] Sed contra istam responsionem arguo sic: si ibi non sit pars extra partem, sequitur quod ibi est confusio partium, sicut arguebatur [\[7\]](#) contra secundam opinionem; et per consequens ibi non est forma debita corporis Christi, quia oculus est in pede, et manus in oculo, et sic de aliis, sicut si duo corpora essent in eodem loco adaequate, unum esset in alio, et e contra.

[19] Praeterea, vel corpus Christi est divisibiliter in sacramento vel indivisibiliter. Si primo modo, habetur propositum quod ibi habet partem extra partem. Si indivisibiliter — contra: vel haec indivisibilitas accedit corpori ibi ex ratione propria, vel solum per respectum ad species. Primum non potest dari, quia sic corpus esset simpliciter indivisibile. Si vero detur secundum, hoc non sufficit, quia varia habitudo rei extrinseca, non variat formam rei. Aliter diceretur faciliter quod Sortes est homo absolute consideratus; verumtamen ipse est asinus per quamdam comparisonem; quod dicere est derisorium et insanum; quare propositum.

[20] Sed quicquid sit de istis rationibus, an convincenter concludant vel non, non curo ad praesens; sufficit mihi ostendere quod positio non satisfacit intellectui. Ex quibus apparet veritas praemissae conclusionis.

[21] **Quarta conclusio** est haec: ordo partium in toto et ordo partium in loco sunt duae corporum habitudines realiter ab invicem condistinctae. Ista conclusio primo declaratur. Pro quo advertendum est quod quaedam videtur differentia inter ista genera, videlicet ubi, positio, et situs, quoniam corpus in se habet ordinem suarum partium, distantiam videlicet manus a pede, et sic de aliis, [276ra] et hoc proprie potest vocari ‘positio’ sive ‘habitus positionis,’ ut sit positio ordo partium in toto. Similiter, situs est quaedam habitudo ipsarum partium ad partes loci per quamdam commensurationem. Sed ubi, sumptum stricte, videtur quoddam derelictum in ipso locato ex adiacentia loci ad ipsum, ut sit quasi quaedam praesentialitas. Et ex hoc apparet quod sunt diversi respectus, videlicet positio, situs, et ubi. Probo igitur quod ordo partium in toto non sit ordo partium in loco: quandocumque aliqua sic se habent quod unum potest esse sine alio, si utrumque illorum est, unum differt ab alio; sed ordo partium in toto et ordo partium in loco nunc sunt in uno corpore, et potest una habitudo esse sine alia; ergo propositum. Consequentia patet; probatur minor: nam Deus potest ponere unum corpus extra caelum; quo facto, corpus illud habet ordinem partium in toto sine quacumque habitudine partium ad locum; ergo videtur quod una habitudo non est realiter alia; quare propositum.

[22] Ex qua conclusione et sua probatione correlarie infertur **quinta conclusio**, quae est haec: possibile est aliquod corpus alicui coexistere sine habitudine situati. Ista conclusio, licet appareat ex probatione praecedentis conclusionis — ex quo enim istae duae habitudines sunt distinctae realiter, una potest esse sine alia, et ita habetur propositum — quae tamen conclusio sic probatur: quodlibet absolutum Deus potest in esse conservare sine quocumque respectivo, quia Deus potest omne prius sine suo posteriori conservare; sed quantitas alicuius corporis est quid absolutum, habitudo vero ad situm sive ad locum est quid respectivum; ergo Deus potest conservare tale corpus in A loco absque hoc quod habeat habitudinem situationalem.

[23] Sed forsitan hic dicitur quod, licet possit Deus conservare istud corpus sine tali habitudine, non tamen hoc potest facere quod sit in loco et careat tali habitudine. Contra: dum corpus naturaliter est in loco, ibi est duplex habitudo, videlicet praesentialitas locati ad locum et commensuratio partium locati a partibus loci. Prima namque habitudo manet in angelo et in anima intellectiva respectu loci, licet non habeat secundam, quia prima est habitudo ubi-tatis et secunda est habitudo situs sive positionis extrinsecae; sed Deus potest unam istarum sine altera separare; ergo poterit facere quod corpus habeat ad locum tantummodo praesentialitatem absque omni habitudine situati; quare propositum.

[24] Praeterea, quaecumque entis positiva condicio contingenter respicit quamlibet formam alicuius generis, contingenter simpliciter se habet ad totum illud genus. Declaro istam propositionem: substantia contingenter respicit quamlibet formam de genere accidentis; et

ideo non videtur aliqua repugnantia quin Deus posset absolvere substantiam a qualibet forma accidentali, ita quod esset substantia [276rb] sine quocumque accidente.

[25] Sed forsán instatur in numeris, ubi paritas vel imparitas respicit totum genus numerorum necessario, et tamen nullum illorum necessario inest, quia omnis numerus necessario est par vel impar; non tamen oportet quod quilibet sit par vel quilibet sit impar; et sic apparet quod illa propositio capit instantiam.

[26: -25] Sed hoc non impedit propositum, quia in proposito non est aliquod subiectum, hoc est in numeris, quod contingenter se habet ad quamlibet formam totius generis; nam signato binario, ille non est indifferens ad quamlibet formam totius generis, quia ille necessario respicit dualitatem; et per consequens paritatem, et sic de aliis, licet de termino communi qui de omni numero praedicatur non sit necessarium quod sit par vel quod sit impar disiunctive, cum de disiuncto extremo necessario est vel par vel impar; et ita apparet quod instantia modicum valet. Et tunc ultra: cum igitur corpus contingenter respiciat totum genus situs, et etiam ubi, ergo videtur quod Deus potest absolvere corpus ab omni tali habitudine situáli. Consequentia patet. Et maior declarata est. {8} Et minor probatur: quoniam corpus non plus determinat sibi hoc ubi quam illud; et per consequens, cum sit indifferens, non videtur ratio quare, sicut potest esse sine habitudine situáli ad unum locum, quin ita sit respectu cuiuslibet loci; quare propositum.

[27] **Sexta conclusio** est haec: corpus dominicum habet in sacramento positionis habitudinem absque habitudine situáli. Ista conclusio apparet quoad primam partem per primam conclusionem, {9} quia corpus Christi non est sine suo modo quantitativo intrinseco et essentiali. Sed quoad secundam partem apparet per doctrinam doctorum, quia ibi non circumscribitur a loco; quare propositum.

[28] Ex qua conclusione et praecedentibus sequitur correlarie **septima conclusio**: quod corpus Christi est ita longum et latum in sacramento eucharistiae sicut est actualiter nunc in caelo. Ista conclusio sequitur ex praemissis. Quae tamen conclusio declaratur, et ex hoc videbitur imaginatio totius conclusionis: corpus Christi in caelo habet duplicem habitudinem, unam extrinsecam et aliam intrinsecam. Extrinsecarum quaedam est simplex praesentialitas locati ad locum, et quaedam est commensuratio partium locati a partibus loci, et ista est situs sive ordo partium in loco. Intrinseca vero habitudo est ordo partium in toto, quae est positio. Nunc autem, quia corpus Christi non habet necessario illam habitudinem extrinsecam quae est ordo partium in loco, staret quod Deus conservaret illud corpus cum duabus {10} habitudinibus sine tertia habitudine; et ita corpus Christi esset in sacramento eucharistiae definitive, sicut nunc anima dicitur esse in corpore humano; et tamen haberet suam quantitatem in se extensam, licet non foret coextensa cum partibus hostiae, quia non habet habitudinem situalement. Et tunc corpus Christi haberet debitam figuram, [276va] et cum hoc esset in qualibet parte hostiae totum, et similiter quaelibet sua pars.

[29] Et per hoc apparet quod, si quaerimus de omni modo quantitativo qui {11} competit quantitati intrinsece et essentialiter, quod tunc concedendum est quod corpus Christi est sub speciebus sacramentalibus secundum quamlibet condicionem propriae quantitatis. Si vero loquimur de condicionibus quae corporibus adveniunt extrinsece, sic non est verum quod ibidem corpus Christi habeat omnem condicionem quantitativam, quia non illam habet {12} quae includit habitudinem situalement.

[30] Et sic apparet quid est dicendum de primo puncto articuli.

<PARS SECUNDA>

<Dubia quinque>

[31] Viso de primo puncto articuli, qualiter videlicet corpus Christi sub speciebus sacramentalibus continetur, consequenter videndum est de quibusdam condicionibus quae possunt corpori Christi competere prout est in sacramento. Pro quo exequendo plura concurrunt **dubia**, quae sunt ad praesens numero **quinque**. Quorum primum est: si quaelibet actio inmanens quae est in Christo naturaliter existenti insit sibi sacramentaliter in eucharistia existenti. Secundum est: si corpori Christi ut in eucharistia existenti possit inesse mutatio corporalis. Tertium dubium est: si corpus Christi ut in eucharistia existens possit aliquid a se ipso differens transmutare. Quartum dubium est: si intellectus creatus corpus Christi ut in eucharistia existens possit naturaliter intueri. Quintum dubium est: si corpus Christi ut existens in eucharistia possit videri oculo corporali.

[32] Quantum igitur ad **primi dubii** declarationem praemitto unam distinctionem, et consequenter subiungam triplicem conclusionem. **Distinctio** talis est: quod Christo existenti in eucharistia aliquid inesse potest dupliciter intelligi: vel sub ratione qua existit in eucharistia, vel per modum cuiusdam concomitantiae.

[33] Intelligo primum modum sic: quod aliquid inest Christo sub ratione qua existit in eucharistia, hoc est quod aliquid sibi inest hic quod sibi inesset dato quod nusquam alibi esset nisi hic. Intelligo vero per modum concomitantiae quod aliquid inest corpori Christo primi modi ut alibi et ex hoc inest sibi ut est hic propter realem identitatem rei hic et ibi, verumtamen talis actio sibi primo competit ut est alibi.

[34] Ista igitur distinctione praemissa, sit ista **prima conclusio**: Christo ut in eucharistia existenti concomitanter inest omnis operatio quae primo inest sibi ut in caelo realiter existenti. Ista conclusio sic probatur: nullum absolutum existens in aliquo desinit inesse in illo propter novum respectum extrinsecus advenientem; sed quaelibet operatio quae inest Christo in caelo est quid absolutum; ergo nulla talis desinit esse per hoc quod corpus Christi incipit esse sub sacramento et per consequens per concomitantiam operatio quae inest Christo in caelo inest etiam sibi ut existit in sacramento. [276vb] Consequentia patet, et maior ex hoc: quoniam varia habitudo, ut superius dictum est, [11](#) non variat condicionem rei absolutae. Et maior apparet per hoc: quia corpus Christi nullum absolutum acquirit in sacramento nisi novam praesentialitatem, quare propositum.

[35] Praeterea, quaelibet intellectio quae inest Christo ut est in caelo inest sibi ut est in sacramento. Nunc autem, si anima intelligeret praecise secundum modum quem intelligit anima viatoris, non haberet intellectionem intuitivam alicuius obiecti sine sensatione concomitante vel praecedente eiusdem obiecti; ergo, cum illa anima intellectionem haberet hic et ibi, sequitur quod etiam sensationem requisitam ad ipsam intellectionem haberet hic et ibi. Cum igitur Christus in caelo habeat aliquas intellectiones quarum sunt aliquae sensationes concomitantes, sequitur quod, sicut intellectiones sunt in Christo ut in sacramento, ita erunt huiusmodi sensationes. Patet igitur totum quod sequitur, et prima propositio apparet, aliter Christus peioraret condicionem ut est in sacramento, quia multis careret intellectionibus quibus non caret in caelo, et per consequens omnem intellectionem quam habet ibi habet et hic, quod est propositum.

[36] Praeterea, non ponendo aliquod miraculum, si esset aliquis dolor in appetitu sensitivo, hic esset et ibi, et per consequens eadem sensatio. Consequentia patet, et antecedens probatur, quoniam si Christus tempore suae passionis fuisset in pyxide, sensisset dolorem in pyxide, ergo et nunc. Ita est conformiter et antecedens apparet, quia ex quo locus sive praesentialitas ad locum est extrinseca ad dolorem susceptum in sensitiva, non videtur quod variat formam absolutam, ut prius deductum est, et per consequens per concomitantiam si qua sensatio esset hic fieret et ibi, quare propositum.

[37] **Secunda conclusio** est haec: nulla sensatio potest primo inesse Christo naturaliter ut existenti actualiter in eucharistiae sacramento. Ista conclusio sic probatur: nulla sensatio fit naturaliter per extramissionem, sed praecise per actionem obiecti moventis potentiam sensitivam, ex qua provenit sensatio, sicut visio fit per hoc quod obiectum movet potentiam ad sui sensationem et sic de aliis. Sed ista motio non fit nisi mediante quantitativo contactu. Cum igitur Christus non sit coextensus sacramentalibus speciebus, sequitur quod nullum obiectum exterius potest naturaliter suam speciem causare in aliqua potentia sensitiva Christi ut primo existit in sacramento, quare propositum.

[38] Praeterea, non magis est praesens corpus Christi in ratione passivi respectu alicuius agentis sub ratione qua est in sacramento quam sit unus angelus vel una anima intellectiva praesens alicui corporali; sed nullum corporale naturaliter agit aliquid in ipsum angelum; ergo nec similiter in ipsum corpus Christi prout est in eucharistiae sacramento. Consequentia patet, et minor ex hoc [277ra] quoniam tam angelus quam corpus Christi in sacramento se habent definitive ita, ut superius dictum est, [2](#) corpus Christi existit in sacramento definitive et non circumscriptive, sicut et angelus dicitur esse in loco definitive, quare propositum.

[39] **Tertia conclusio** est haec: operatio intellectualis vel voluntaria potest primo inesse Christo ut in sacramento eucharistiae permanenti. Ista conclusio sic probatur: operatio abstracta a sensibilibus nec requirens sensibilia potest haberi a Christo in eucharistiae sacramento; sed intellectio et volitio sunt operationes huiusmodi et hoc in anima beata; ergo, cum anima Christi sit beata, sequitur quod potest habere intellectionem et volitionem prout existit in eucharistiae sacramento. Consequentia et maior patet, sed minor probatur. Quoniam ubicumque est obiectum debite approximatum alicui potentiae, ibi talis potentia potest habere actum sibi conformem; nunc autem angelus vel aliqua anima posset se offerre animae Christi in eucharistiae sacramento; et per consequens sequitur quod anima Christi pro tunc haberet aliquam intellectionem intuitivam respectu angeli, vel animae se offerentis. Quare propositum.

[40] Praeterea, si aliquid impediret quod talis intellectio non proveniret, hoc maxime videretur per hoc quod Christus secundum corporalem substantiam est ibi definitive; sed hoc nihil impedit; ergo propositum. Consequentia et maior patet; et minor apparet, quia angelus est definitive in loco, ergo, si illa esset sufficiens ratio quare Christus non posset intelligere ut existens in sacramento, ita angelus non posset intelligere sicut et Christus ut in sacramento. Consequens est falsum, et contraria patet, quia eadem ratio ponitur utrobique et ergo non videtur ratio quare Christus non possit intellectionem et volitionem habere, ut est in sacramento; quare propositum.

[41] Consistit ergo imaginatio responsionis ad dubium, cum quaeritur numquid actiones immanentes quae correspondent Christo in caelo respondeant ut est in sacramento, quod distinguendum est, aut quaeritur per concomitantiam, aut primo et per se ratione qua existit in sacramento. Si primo modo, tunc omnis operatio quae sibi inexistit in caelo inexistit sibi in

sacramento, cum operatio sit forma absoluta. Si secundo modo, distinguendum est de operationibus: aut sunt sensitivae aut intellectivae. Si sunt intellectivae, multae possunt sibi inesse sub ratione qua est in sacramento. Si vero sensitivae, nullo modo naturaliter, quia tales indigent obiectis per contactum quantitativum proprias species causantibus, et corpus Christi sive Christus, secundum corporalem substantiam non est ibi coextensive cum speciebus sacramenti; quare propositum.

[42: -34] Sed **contra primam conclusionem**, quae ceteris dubitabilior videtur, arguo primo sic. Ad hoc quod causetur visio, auditio, vel sensationes huiusmodi requiratur debita distantia inter potentiam et obiectum, quia obiectum ad aliquam distantiam sufficit [277rb] suam speciem causare, et aliquam non sufficit. Si ergo obiectum visibile sit in caelo, quod sufficit causare suam speciem in potentia visiva Christi ut in caelo, non sequitur propter hoc quod sufficiat causare suam speciem in potentia visiva Christi ut est hic in terra. Et per consequens non oportet quod, ex hoc quod aliqua sensatio causatur in Christo ut est in caelo, quod eo ipso sit in eo ut est in sacramento.

[43] Praeterea, data illa conclusione, sequitur quod Christus ut est in sacramento intuitive videt beatam virginem. Consequens videtur falsum, ergo et antecedens. Consequentia probatur, quia eadem visio quae est in caelo respectu beatae virginis est in Christo ut est sub sacramento; et illa est intuitiva; ergo et ista, et per consequens intuitive videt beatam virginem. Sed falsitas consequentis probatur, quia visio intuitiva est directa attingens existentiam rei, sed Christus ut in sacramento non habet huiusmodi visionem. Quod sic probatur, quoniam in visione intuitiva, quae est sensitiva visio, transit super rem visam per modum pyramidis cuius basis est in re visa et conus in oculo. Nunc vero oculus Christi in sacramento non potest esse terminus coni pyramidalis, ergo nec visionis. Et per consequens Christus ut in sacramento non habet notitiam quam habet in caelo, quod est propositum.

[44] Praeterea, ex multiplicatione Christi ad diversa loca secundum corporalem substantiam non sequitur propter hoc multiplicatio cuiuscumque alterius sibi noviter advenientis. Ergo stat quod Christus sit in diversis locis absque hoc quod visio quam habet in uno loco sit cum eo in alio, quia potest esse multiplicatio substantiae sicut multiplicatione qualitatis. Consequentia patet; et antecedens probatur, nam quaero cum Christus nunc noviter videt in caelo aliquod visibile quid multiplicat illam visionem in Christo ut est in sacramento: aut agens illud quod causat speciem suam in caelo, aut potentia sensitiva Christi cum illo obiecto, aut Deus. Non primis duobus modis, quia nullum creatum potest virtute propria aliquod ens ponere simul in diversis locis, nec est dicendum quod Deus, quia non oportet quod, ex hoc quod Deus multiplicat unam rem quod consequenter multiplicat aliam, cum illae res sint realiter distinctae; quare propositum.

[45] Praeterea, quandocumque organum alicuius potentiae non existit sub modo requisito ad sensationem, numquam talis potentia percipit sensitive; sed organum potentiae visivae Christi ut est in sacramento non existit sub modo requisito ad sensationem; ergo potentia visiva Christi ut in sacramento nihil percipit sensitive. Consequentia et maior patet; et minor apparet per ea quae dicta sunt in secunda conclusione, [\[3\]](#) nam ad hoc, quod aliquod agens suam speciem causat in potentia visiva Christi, requiritur quod inter potentiam et obiectum sit contactus quantitatis cuiusmodi non est in proposito, ut apparet, quia corpus Christi non est ibi circumscriptive; [277va] quare intentum.

[46: -42] **Ad istas rationes** respondeo. Ad primam, quae tangit quod ad hoc quod causetur visio in aliqua potentia requiritur debita distantia inter potentia et obiectum, hic dico quod hoc

verum est primo et per se, et non per modum concomitantiae. Unde, si per imaginationem Christus secundum corporalem praesentiam esset nunc in certo loco caeli empyrei, et per imaginationem esset unus sacerdos in opposito loco de directo, inter quem et locum ubi nunc positum corpus Christi est maxima distantia quae sit actu, tunc, si sacerdos diceret verba sacramentalia super materia debita, ibi corpus Christi inciperet esse, et ita concomitanter omne absolutum quod est in Christo inciperet ibi esse, non per actionem alicuius agentis creati, sed per ipsum divinum, omnia illa haberent concomitanter esse in sacramento cum Christo, et ideo bene concedo quod visio causata ab aliquo obiecto visibili corporali non ex hoc, quod causatur ab eo in potentia visiva Christi, eo ipso formaliter habet esse in sacramento, sed per hoc, quod corpus Christi ponitur sub sacramento, eo ipso concomitanter ponitur illa visio in Christo ut est in sacramento.

[47: -43] Ad secundum, cum dicitur quod, data conclusionem, tunc sequitur quod Christus ut est in sacramento videret intuitive beatam virginem, hic breviter concedo conclusionem, et ratio est quia, ut prius dictum est, [\[4\]](#) ex quo prius habebat intuitive visionem virginis propter hoc, quod acquisivit novam praesentiam ad aliquod ubi, non propter hoc amisit illud quod prius habebat. Et cum probatur quod non pro eo quod visio intuitiva est directa secundum debitam distantiam attingens existentiam rei, dico quod hoc verum est ubi visio causatur primo et immediate ab obiecto, et non per concomitantiam. Non enim oportet quod inter Christum ut est in sacramento et beatam virginem sit praecise tanta distantia quanta est inter ipsum ut est in caelo et beatam virginem, et hoc propter rationem dictam.

[48: -44] Ad tertium, cum dicitur quod Deus potest multiplicare substantiam sine qualitate, hic breviter dico quod non haberet pro impossibili quod Deus multiplicaret corpus Christi ita quod esset in caelo et in sacramento, et staret sine contradictione, quia esset in sacramento sine anima et ipsius accidentibus. Sed hic non agimus de eo quod Deus potest, sed praecise de facto. Nunc autem ita est quod visio corporalis quam Christus habet in caelo de beata virgine et de aliis sanctis habet et prout est in sacramento, quia non videtur quod debeat carere in sacramento perfectionibus quibus dotatur in caelo. Et ideo virtute conversionis tamquam terminus principalis in transubstantiatione panis est corpus Christi, cetera vero sunt per concomitantiam, ut puta sanguis, anima intellectiva sua, formalis beatitudo, tota divinitas, quae tamen non de necessitate concomitantur, sed solum secundum dispositionem divinae voluntatis.

[49: -45] Ad quartum, cum dicitur quod in sacramento organum non est dispositum sub debito modo ad susceptionem visionis, hic breviter dico quod ad susceptionem [\[277vb\]](#) visionis prout causatur ab obiecto verum est, sed concomitanter non oportet, verumtamen adhuc organum illud in sacramento habet suam debitam extensionem quam habet in caelo, licet non habeat coextensionem, et ideo bene est susceptivum visionis, licet non per modum quo visio suscipitur ab oculo meo vel alicuius alterius, per hoc quod est circumscriptive in loco, quia, ut saepe dictum est, oculus Christi non est in sacramento circumscriptive.

[50] Unde breviter omnes istae rationes praesupponunt quod visio sit causata in oculo Christi ut est in sacramento eo modo quo causatur in eo ut est in caelo, quod falsum est, quia ibi visio directe habetur ab obiecto, hic vero per concomitantiam. Et sic apparet quid est dicendum ad illud dubium primum.

[51] **Secundum vero dubium** fuit: si corpori Christi ut in eucharistia existenti possit inesse mutatio corporalis. Pro cuius dubii declaratione praemitto quasdam distinctiones, ex quibus eliciam certas propositiones. Prima igitur distinctio est ista: quod ‘mutatio’ potest sumi

tripliciter: uno modo communissime, pro quacumque videlicet acquisitione cuiuscumque rei, sive illa res sit absoluta sive respectiva, et isto modo dicimus quod corpus Christi mutatur, quia novam praesentiam per transsubstantiationem acquisivit sub speciebus sacramenti. Secundo modo sumitur pro acquisitione alicuius formae absolutae, sive successive sive instantanee, et isto modo mutatio est superius ad mutationem subitam et successivam. Tertio modo sumitur pro acquisitione alicuius formae absolutae vel spatii extrinseci successive. Et isto modo in tribus generibus dicitur proprie ‘motus,’ in quantitate videlicet, qualitate et ubi, prout sumitur transcender.

[52] **Secunda distinctio** est ista: quod corpus Christi potest intelligi dupliciter moveri, videlicet primo ut existit in sacramento, vel concomitanter. Et ista distinctio patet aliqualiter ex praedictis in primo dubio.

[53] **Tertia distinctio**: quod motus potest dividi ex consideratione agentis, quod, cum sit duplex, videlicet creatum et increatum, ideo secundum hoc ‘moveri’ potest intelligi dupliciter: aut a virtute creata, aut a virtute immensa et increata.

[54] His distinctionibus praemissis, **pono sex propositiones**, quarum **prima** sit ista: corpus Christi prout existit in sacramento eucharistiae non potest moveri motu proprie dicto a virtute aliqua limitata. Ista propositio sic probatur: omnis motus proprie dictus est ad formam aliquam absolutam sive ad spatium aliquod acquirendum, ut clarius dicam. Omnis motus proprie dictus vel est ad substantiam vel ad quantitatem, qualitatem, vel ad ubi, ut patet per Philosophum X *Physicorum*; [5](#) sed nullum agens limitatum potest corpus Christi ut est in sacramento movere ad aliquod praedictorum; ergo propositum. Consequentia et maior patent; et minor probatur, quoniam corpus Christi non posset ut est in sacramento moveri [278ra] ab aliquo creato localiter, quia nullo modo coextenditur loco, nec etiam ad quantitatem, quia agentia limitata exercent suas operationes circa corpora per transmutationem et debitam approximationem ad aliud corpus; sed haec approximatio debita non potest fieri circa corpus Christi per aliquod agens limitatum propter modum existendi quem habet corpus Christi in sacramento, quia nullum habet ordinem partium in loco; quare propositum.

[55] **Secunda propositio** est haec: corpus Christi prout existit in sacramento eucharistiae potest moveri a virtute divina secundum quamlibet speciem motionis. Ista conclusio sic probatur: quodlibet passum receptivum alicuius formae potest virtute divina poni sub illa forma; sed corpus Christi est receptivum cuiuslibet formae mutationis; ergo corpus Christi virtute divina potest poni sub qualibet tali forma. Consequentia et maior patent; et minor apparet, quoniam corpus Christi est quantum, et per consequens receptivum qualitatis, quantitatis, et motivum localiter; sed quod non repugnet virtuti divinae istud corpus movere prout existit in sacramento, quia quod rei non repugnat est Deo absolute possibile, aliter maior esset potentia creaturae receptiva quam esset potentia Dei activa, quod videtur impossibile; quare propositum.

[56] **Tertia propositio** est haec: corpus Christi prout existit in sacramento eucharistiae potest moveri et moveretur ab aliquo motu frequentius large sumpto. Ista propositio apparet, quoniam corpus Christi movetur ad motum hostiae, ut fide tenemus; aliter, si semper staret in uno loco, cum sacerdos elevat hostiam hinc inde, si corpus Christi non moveretur ad motum hostiae, omnes Christi fideles essent idolatrae, quia semper adorant ubi conspiciunt accidentia panis; quare propositum.

[57] **Quarta propositio** est haec: quod praemisso motu, et siquo alio, movetur corpus Christi in eucharistiae sacramento, a sola divina virtute movetur et non ab aliqua potentia limitata. Ista propositio sic probatur: nihil movetur ad motum alterius, nisi illud alteri coniungatur vel per modum actus vel potentiae – ut apparet in anima intellectiva, quae movetur ad motum corporis per hoc quod corpori coniungitur ut forma –, vel per modum partis – ut patet in elevatione –, vel per modum alicuius exigentiae naturalis; sed corpus Christi non habet ad species coniunctionem quae est formae ad materiam vel econtra, vel per modum partis, vel alicuius exigentiae naturalis; ergo sequitur quod ad motum specierum non propter hoc sequitur quod corpus Christi formaliter illo motu moveatur, sed ubi movetur, hoc est a virtute divina. Et per hoc apparet quod ista propositio falsa est de virtute sermonis, licet non ad intentionem Christianorum simplicium: ‘sacerdos elevat corpus Christi sive deprimit,’ sed bene illi propositioni debet ista correspondere: ‘sacerdos elevat accidentia [278rb] panis, ex quorum elevatione per pactionem divinam corpus Christi movetur ad locum ad quem accidentia elevarunt.’ Unde non est imaginandum quod sacerdos ibi moveat corpus Christi non plus quam si unus angelus voluntarie esset in lapide, et ad motionem lapidis voluntarie moveretur. Non tamen propter hoc haberetur quod ille qui elevaret lapidem elevaret angelus. Et sic est proposito imaginandum quod sacerdos elevat accidentia et concomitanter virtus divina movet corpus Christi ad illam differentiam loci ad quam accidentia moveretur.

[58] Et si dicatur quod secundum hoc semper est novum miraculum quotiens sacerdos transfert hostiam de loco ad locum, hic dico quod non oportet. Et ratio est quia Deus, voluntate qua instituit eucharistiam in ecclesia, determinavit facere corpus Christi semper praesens speciei post consecrationem. Et ideo specie manente qualitercumque transferatur quod Deus faciat corpus Christi aliqua praesentia praesens, loquendo de praesentia respectu continentis, sicut species habet aliam et aliam praesentiam ut contenta non est novum miraculum, sed antiqua determinatio divinae voluntatis.

[59] **Quinta propositio** est haec: corpus Christi ut in sacramento potest moveri concomitanter ad omnem formam absolutam ad quam movetur in caelo et ab eodem agente a quo ibi suscipit motionem. Ista propositio sic probatur per rationem prius factam in probatione primae conclusionis primi dubii, [\[6\]](#) quia forma absoluta non variatur per acquisitionem novi respectus. Et ideo, si corpus Christi in caelo cresceret, concomitanter cresceret et in sacramento. Et similiter, si ibi esset calidum, concomitanter esset calidum et in sacramento, quia huiusmodi formae, cum sint absolutae, propter novam acquisitionem novae praesentiae non perdunt sua iura; quare propositum.

[60] **Sexta propositio** est haec: Non ex hoc, quod corpus Christi movetur in caelo localiter, eo ipso corpus Christi per quandam concomitantiam movetur in sacramento. Ista propositio sic probatur, quia, sicut corpus Christi habet quandam praesentiam in sacramento quam non habet in caelo, ita stat quod acquirat aliquam novam praesentiam in caelo quam non habebit in sacramento; sed primum est verum, secundum quod fide tenemus, quia in altari corpus Christi est sacramentaliter et non sic in caelo; ergo et secundum est possibile. Et per consequens non oportet quod ex hoc, quod corpus Christi movetur in caelo, quod eo ipso moveatur in eucharistiae sacramento, quia moveri localiter est acquirere novum respectum sive novam praesentiam ad aliquod spatium quam prius non habuit. Nunc autem non oportet ex acquisitione talis praesentialitatis inferre quod corpus Christi ut in sacramento similem praesentiam acquisiverit; quare propositum.

[61] Ex quibus conclusionibus apparet manifeste quo motu corpus Christi potest moveri ut in sacramento, et a qua virtute. Unde praedicta reducendo per modum cuiusdam [278va] epilogi,

possumus taliter ad dubium respondere quod vel loquimur de motu praedicto, vel large et extensive accepto. Si primo modo, vel per comparisonem ad potentiam limitatam, vel simpliciter infinitam. Si per comparisonem ad potentiam limitatam, sic corpus Christi ut in sacramento non potest moveri ab aliqua potentia limitata. Si vero per comparisonem ad potentiam infinitam, sic corpus Christi ut in sacramento potest moveri a potentia infinita. Si autem loquimur de motu large et extensive accepto, sic corpus Christi movetur quando species moventur, licet non moveatur formaliter motu specierum eo modo quo anima intellectiva dicitur moveri ad motum corporis quod informat. Si autem velimus loqui de motu non prout primo respicit corpus Christi ut in sacramento, sed per quandam concomitantiam, sic corpus Christi motu quo moveretur in caelo ad formam aliquam absolutam eo motu concomitanter moveretur in sacramento ad talem formam absolutam, licet non oporteat quod, si moveretur in caelo localiter, quod in sacramento similiter moveretur, pro eo quod motus localis potius est acquisiturus alicuius respectus extrinseci, hoc est cuiusdam novae praesentialitatis quam sit acquisitus alicuius formae absolutae, nisi quis vellet vocare spatium formam absolutam quod spatium proprie non acquiritur, cum prius fuerit, nisi per quandam novam praesentialitatem; sed sic sumere formam absolutam improprium est et insuetum. Sic igitur apparet qualiter Christo potest in eucharistia competere mutatio corporalis et finis per consequens de duobus dubiis.

[62] **Tertium dubium** fuerat istud: numquid corpus Christi in eucharistia existens possit aliquid a se ipso differens transmutare? Pro cuius dubii declaratione praemitto quandam distinctionem, et consequenter ponam certas propositiones. **Distinctio** est ista: quod potentiae que insunt homini — et loquor de potentiis activis sive operativis — quaedam insunt sibi non primo et per se, sed ratione alicuius partis cui insunt primo et per se. Et hoc potest contingere dupliciter, secundum quod partes in homine sunt diversae; nam quaedam est in eo mere spiritualis, et quaedam mere corporalis. Aliquae igitur potentiae insunt homini non primo et per se, sed ratione alicuius partis mere spiritualis, cui tales potentiae insunt primo et per se, ut sunt intellectus et voluntas, que insunt homini ratione animae intellectivae. Aliquae etiam insunt homini ratione partis mere corporalis, ut potentia motiva deorsum et immutativa secundum aliquam qualitatem mere corporealem. Quedam vero potentiae insunt homini primo et per se, non ratione alicuius partis, sed ratione totius coniuncti sive animati, ut sunt potentia progressiva, digestiva et sibi quoad hoc similes.

[63] Ista igitur distinctione [278vb] praemissa, sit ista **prima conclusio**: Christus ut in eucharistia existens non potest uti aliqua potentia activa corporea primo et per se partem corporealem naturaliter imitante. Ista propositio sic probatur: omnis potentia activa corporea requirat passum sibi approximatum localiter; sed quaelibet potentia activa corporea Christi ut in eucharistia non est alicubi localiter et circumscriptive; ergo nulla talis potentia ut in eucharistia existens potest habere aliquod passum sibi approximatum, sicut requiritur ad hoc, quod talis potentia agat. Et per consequens Christus ut in eucharistia existens nulla tali potentia potest uti, quod est propositum. Consequentia et minor patent, et maior apparet per Philosophum VII *Physicorum*, [17](#) quod oportet agens corporeum approximatum esse passo mediate vel immediate. Quare propositum. Et intelligitur conclusio (et sua probatio) stante influentia generali. Non enim pro nunc volo investigare an Deus posset facere quod Christus ut in eucharistia utatur aliqua potentia activa mere corporali, quia hoc alterius est speculationis, sed solum investigamus de facto, consideratis Christi condicionibus corporalibus, an possit uti tali potentia.

[64] **Secunda conclusio** est haec: Christus ut in eucharistia existens non potest uti aliqua potentia activa corporea imitante totius coniuncti subsistentiam naturalem, verbi gratia ut est

comedere, bibere, ambulare, et sic de aliis quae respiciunt primo et per se totum coniunctum et nullam partem nisi per accidens. Ista propositio apparet per similem probationem sicut praecedens, quia non potest fieri debita approximatio alicuius passi ad talem potentiam ut in eucharistia existentem, quia requiritur corporeus et quantitativus contactus, cuiusmodi non potest esse nisi inter illa quae sunt in loco circumscriptive; cuiusmodi non est in proposito, eo quod nulla potentia activa Christi organica ut in sacramento est in loco circumscriptive; quare propositum.

[65] **Tertia conclusio** est haec. Christus ut in eucharistia existens potest uti qualibet potentia activa quae sibi competit ratione partis mere spiritualis. Ista conclusio potest probari per oppositum probationis praecedentium conclusionum. Omnis potentia quae ad sui operationem sive applicationem ad suum passum non indiget quod sit cum suo passo localiter et circumscriptive potest exercere suam operationem sine tali modo existendi; sed potentia quaecumque consurgens ex parte mere spirituali est huiusmodi; ergo propositum. Consequentia et maior patet; et minor apparet, quia quaelibet talis potentia ex sua condicione naturali excludit a se modum existendi circumscriptive; quare propositum. Et tunc ultra: cum igitur Christus ut in sacramento existens habeat huiusmodi potentias, sequitur quod ipsis potest uti ut in eucharistia existens pro libito voluntatis.

[66] Ex qua conclusione infero **duas propositiones correlarias**, quarum **prima** [279ra] est haec: Christus ut in eucharistia existens potest aliquam substantiam spiritualiter transmutare. Ista propositio patet pro tanto quia angelus potest esse sufficienter praesens animae Christi in sacramento ex quo inter ipsa non requiritur quantitatis contactus, sed ut ita loquar tantummodo quidam spiritualis contactus qui est quaedam praesentialitas sicut est inter duos angelos. Cum igitur Christus potest uti qualibet spirituali potentia activa ut est in sacramento, et talis angelus per modum cuiusdam passi est sufficienter approximatus animae Christi, sequitur quod anima Christi potest ipsum spiritualiter transmutare, hoc est causando in ipso aliquam notitiam de his quae videt ultra ipsum de divina essentia, et per istum modum potest ipsum illuminare. Quod confirmo: aequè potest esse praesens unus angelus ipsi animae Christi sicut est quandoque alteri et angelo; sed ex tali approximatione angelus superior illuminat inferiorem; ergo, cum anima Christi sit in gratuitis perfectior quocumque angelo, sequitur quod ipsa ut est in sacramento potest aliquem angelum illuminare, et sic per consequens Christus ut in sacramento potest aliquam substantiam spiritualiter transmutare, quod est propositum.

[67] **Secunda propositio correlaria** sequens est haec: quod Christus ut in eucharistia existens potest aliqua virtute spirituali substantiam corpoream transmutare. Patet, ex quo potest uti qualibet tali potentia. Sed declaratur ulterius quae sit illa virtus spiritualis qua possit corpus transmutare. Constat quod in angelo est aliqua virtus motiva qua se ipsum potest transferre de loco ad locum et alia corpora transmutare, ut in II dictum est. [\[8\]](#) Cum igitur anima intellectiva a corpore separata habeat similiter hanc virtutem motivam, aliter non posset se transferre de loco ad locum, quod est error condemnatus per dominum Stephanum Parisiensem episcopum de consilio venerabilium magistrorum Parisiensium theologiae facultatis, [\[9\]](#) sequitur quod, cum ipsa potentia motiva non insit sibi per corpus sed per naturam propriam, quod talis potentia motiva est animae intellectivae intrinseca et essentialis. Et per consequens, dum actu anima informat corpus, semper talis potentia inest animae sicut et aliae potentiae sibi naturales, utpote intellectus et voluntas, et ita per consequens sequitur quod Christus ut in sacramento potest uti tali potentia motiva quae est spiritualis et ita aliquam substantiam corpoream transmutare, sicut et angelus hoc facere conceditur; quare propositum.

[68] Ex quo apparet ulterius quod in homine est multiplex potentia motiva, una videlicet mere spiritualis, de qua nunc dictum est, alia mere corporalis, quae inest sibi ratione suarum partium elementarium habentium praedominium in mixtione ut est potentia motiva ad deorsum; est etiam alia potentia motiva quae inest homini ratione totius coniuncti ut potentia progressiva, [279rb] quae est in animalibus. Nec est etiam rationabiliter neganda ab anima potentia motiva mere spiritualis, cum ut in pluribus sit angelo similis, quoniam ut dicit Philosophus, secundo *De generatione* in fine, [\[10\]](#) “Dignificanda est natura secundum melius semper quantum possibile est.” Et sic apparet quod Christus ut existens in Eucharistia potest transmutare aliquod corporale non tamen per potentiam activam corpoream. Et ex hoc apparet quod, licet Christus ut existens in eucharistia posset movere et transmutare corpus sacerdotis, non tamen ut ibi existens posset dare alapam sacerdoti, et ratio est quia virtute motiva spirituali posset transmutare corpus sacerdotis sicut et angelus hoc posset facere; cum enim ad dandum alapam requiritur quod exerceat virtutem organicam qua non potest uti ut existens in sacramento, ut prius declaratum fuit. [\[11\]](#)

[69] Recolligendo igitur responsionem ad dubium, videlicet an Christus ut existens in eucharistia possit aliquid transmutare, distinguendum est de potentia activa aut mere spirituali aut mere corporali vel ratione totius coniuncti. Si secundo et tertio modis, sicut existens in eucharistia non potest aliquid transmutare pro eo quod requiritur debita approximatio potentiae activae cum passo quae fit per contactum quantitativum, cuiusmodi non est in proposito. Si vero fiat mentio de potentia activa mere spirituali, sic potest aliquid corpus et etiam spiritum transmutare, sed non per quamcumque spiritualem potentiam, sed solum per potentiam quae dicitur motiva, quia per intellectum ut sic non transmutaret nec per voluntatem executive nisi tantummodo imperative, quia voluntas posset imperare quod fieret talis transmutatio et potentia motiva exequeretur imperium voluntatis. Et sic apparet quod ad dubium respondendum est secundum formam logicam affirmative, quia est una propositio aequivalens uni disiunctive verae, cum altera eius pars sit vera. Procedendo vero theologicè, distinctio videtur utilis propter quam certius apparet veritas de quaesito. Et tantum de isto dubio.

[70] **Quantum dubium** fuerat istud: numquid intellectus creatus corpus Christi ut in eucharistia existens possit naturaliter intueri? Pro cuius dubii declaratione primo praemitto quandam distinctionem, et consequenter eliciam certas conclusiones. **Distinctio** est ista, de isto termino ‘intellectus creatus,’ quod dupliciter consideratur: quandoque prout est a materia separatus, quandoque prout est materiae corporali coniunctus. Si primo modo, contingit dubia: aut est a materia separatus tam actualiter quam aptitudinaliter, et sic est angelicus intellectus, aut est separatus actualiter, licet habeat aptitudinem coniunctionis cum materia ex sua originali condicione, et sic est humanus. Ulterius, intellectus coniunctus dupliciter potest [279va] intelligi: aut prout coniungitur corpori passibili et mortali, aut prout coniungitur corpori impassibili et immortalis. Primo modo est intellectus viatoris et secundo modo est intellectus comprehensoris.

[71] Ulterius, quia in dubio ponitur ‘naturaliter,’ advertendum est quod duplex potest sumi: uno modo pro intellectus natura nuda, et sic absque dubio intellectus nullum obiectum intelligit, quia ut sic est tabula rasa in qua nihil est depictum, ex III *De anima*; [\[12\]](#) quandoque vero sumitur naturaliter pro causis naturalibus concurrentibus ad intellectionem, activo videlicet et passivo, et sic utemur in praesenti dubio, cum quaerimus si intellectus creatus potest naturaliter intueri corpus Christi ut existens in eucharistia.

[72] Ultimo advertendum est de isto termino ‘intueri,’ quod intuitio proprie importat cognitionem intuitivam per differentiam ad abstractivam, quia de cognitione abstractiva an intellectus creatus possit habere notitiam abstractivam de eucharistia non est difficultas, et hoc loquendo de cognitione abstractiva quae non praesupponit intuitivam eiusdem rei, sed <est difficultas> loquendo de abstractiva eo modo quo dicimus nos habere Christi notitiam abstractivam, quem tamen numquam vidimus, et hoc fit secundum quasdam intentiones communes acceptas a singularibus, ut diffuse docet beatus Augustinus XIII *De Trinitate*, cap. VII. [{13}](#)

[73] His igitur distinctionibus et notabilibus praemissis, sit ista **prima conclusio**: intellectus corporali coniunctus mere pro statu viae non potest naturaliter intuitive cognoscere corpus Christi ut existens in eucharistiae sacramento. Ista conclusio sic probatur: intellectus qui non intelligit nisi ex praesentia sensibilibus eodem modo intelligit, manente eodem modo quo prius praesentia sensibilibus, verbi gratia, pro intellectu propositionis: si ego non intelligo sub illa albedine sit substantia nisi per illam albedinem, manente illa albedine eodem modo quo prius semper intelligam quod sub illa albedine est substantia. Nunc autem intellectus noster pro statu viae non intelligit nisi ex sensibilibus, quia non intelligit nisi imaginabilia vel ea quae relucent in phantasmatis imaginabilium, ex III *De anima*, [{14}](#) quoniam necesse est quemlibet intelligentem phantasmata speculari. Cum igitur ante transubstantionem panis in corpus Christi et post transubstantionem aequae illae species movent intellectum sicut ante, sequitur quod semper idem iudicium habebit. Et per consequens quam primo non habebat unde posset intuitive intelligere corpus Christi esse ibi, tam nec modo post consecrationem, quare per consequens intellectus non potest naturaliter corpus Christi ut existens in eucharistia intueri, quod est propositum.

[74] **Secunda conclusio** est hoc: quilibet intellectus a materia separatus potest naturaliter intuitive cognoscere Christi existentiam in eucharistiae sacramento. Ista conclusio sic probatur: potentia quae fertur ad aliquod obiectum sicut ipsum est in se non impeditur a cognitione talis obiecti per aliquid quod est posterius tali obiecto; sed intellectus a materia separatus fertur in intelligibilia sicut ipsa sunt in se; cum igitur corpus Christi sit obiectum [279vb] intelligibile intellectus, sequitur quod propter aliquem modum tali obiecto extrinsecum non impeditur talis intellectus quin possit naturaliter intuitive percipere tale obiectum. Nunc autem corpus Christi sic existere est quaedam condicio adveniens corpori Christi. Ergo talis condicio non impedit quin intellectus a materia separatus possit intuitive conspiciere corpus Christi ut est in sacramento.

[75] Et confirmatur, nam si color est obiectum visus ad quem primo talis potentia aspicit, sive talis color ponatur in subiecto sive non, non minus potentia visiva naturaliter perciperet illud obiectum, sicut nunc apparet de accidentibus quae sunt in sacramento. Et ergo apparet quod varius modus existendi obiecti non impedit, quoniam si potentia tendit ad illud obiectum tamquam ad proprium obiectum, capiat suum obiectum; ergo conformiter in proposito: licet corpus Christi habeat novum modum existendi in eucharistia, tamen quia intellectus primo intuetur corpus Christi, ideo sua intuitio non variatur quin videat corpus Christi habens talem modum existendi, sicut dictum est de accidente respectu potentiae visivae.

[76] Sed forsitan diceret aliquis quod intellectus bene potest intuitive videre corpus Christi, non tamen prout existit sub sacramento, quia talis existentia est miraculosa et transcendens facultatem luminis naturalis cuiuscumque intellectus creati, sive coniuncti sive a materia separati. Contra: virtus potens cognoscere obiectum dum est praesens intuitive potest cognoscere eius absentiam dum est absens; haec propositio evidentiam habet ex II *De*

anima,[115](#) ubi sententialiter dicitur quod per visum cognoscimus non tantum lucem, sed etiam tenebram. Nunc autem intellectus a materia separatus intuitive potest videre panem quando actu est praesens sub accidentibus suis, quia non est obiectum supernaturale; ergo et potest cognoscere absentiam eius quando est absens, et qua ratione potest cognoscere istam absentiam panis quando est absens, eadem ratione potest cognoscere existentiam corporis Christi ibi, quia corpus Christi est obiectum proportionatum intellectui tali ut intuenti, et per consequens modus accidentaliter ipsius corporis non impedit quin ab intellectu sequestrato a materia possit videri, quod est propositum. Nec ratio assignata valet, quia certum est quod multa sunt quae naturaliter producantur quae sunt perfectiora multis supernaturaliter productis, quoniam substantia perfectior est quocumque accidente, ut dicit Philosophus VII *Metaphysicae*,[116](#) et tamen multae substantiae producantur naturaliter, ut experientia docet, et multa accidentia producantur supernaturaliter, ut docet fides de virtutibus theologicis et de virtutibus aliis infusis; et tamen non videtur impossibile quare angelus vel anima separata non possit naturaliter intuitive videre unam gratiam sive qualitatem sicut potest videre unam substantiam. Esto ergo quod res sit supernaturaliter producta, tamen non oportet quod sit supernaturaliter cognoscibilis, sicut etiam apparet de anima intellectiva, quae supernaturaliter producit, et tamen ipsam unus angelus potest naturaliter intuitive videre. Et sic in proposito, esto quod [280ra] modus existendi in eucharistia sit supernaturaliter factus, non tamen oportet quod intellectui a materia separato sit supernaturaliter cognoscibilis.

[77] Et praeterea, angelus videt angelum definitive existere et non circumscriptive; ergo talis modus existendi non est angelo supernaturaliter cognoscibilis. Et per consequens, si Deus facit quod unum corpus sit in loco definitive, non propter hoc tollitur quin potentia cognitiva angeli possit naturaliter intueri. Sed forsitan dicitur quod talis modus existendi non est angelo supernaturalis, sed bene corpori, et ideo bene potest unum modum videre naturaliter et non alium. Sed hoc non obviat, nam si Deus produceret unum colorem supernaturaliter et alium agens naturale, non propter hoc redditur visus impotens, quin possit naturaliter utrumque intuitive conspiciere per hoc quod utrumque obiectum est tali potentiae proportionatum. Et igitur, si modus existendi definitive sit intellectui a materia separato proportionalis, sive ille ponatur in corpore sive in angelo, non minus talis intellectus potest naturaliter illum conspiciere, ex quo potest se facere tali obiecto praesentem.

[78] Et si dicatur quod secundum hoc angelus malus vel bonus vel anima intellectiva a corpore separata posset naturaliter intuitive videre cognitiones nostras, hic dico prout dicit Doctor Subtilis, IV *Sententiarum*, distinctione 10, quaestione 8, in responsione ad tertium argumentum factum in principio quaestionis,[117](#) quod angelus malus, si absolute permittetur sua potentia cognitiva uti, quod naturaliter posset intelligere quodcumque intelligibile creatum, et per consequens posset intelligere cogitationes cordium et mysterium incarnationis postquam fuit positum in effectum. Unde, sicut Magister *Sententiarum* dicit libro II, distinctione 7,[118](#) multa possunt maligni spiritus ex natura sua quae non permittuntur eis. Et ita dicitur quod angeli mali non cognoscunt cogitationes nostras, quia Deus non vult, quoniam tamen possent illas naturaliter cognoscere, ex quo sunt positae in effectum, hoc non est negandum, cum non plus angelo sit obiectum supernaturale una mea cogitatio quam sit unus lapis vel aliquid aliud. Si ergo non cognoverunt incarnationis mysterium, hoc fuit quia non fuit eis permissum ne forsitan nostra redemptio per viam passionis impediretur, et sic est de aliis dicendum.

[79] Unde apparet ex responsione istius doctoris quod quodlibet intelligibile creatum potest quilibet intellectus sequestratus a materia intelligere, et per consequens habetur veritas praemissae conclusionis secundae quam, propter reverentiam antiquorum doctorum tenentium

oppositum, non assero, licet sit conclusio Doctoris Subtilis in quaestione praeallegata, cuius intentionem mihi pro nunc sufficit declarasse. Unde, in rei veritate, quicquid dictum est pro probatione istius conclusionis, totum consistit radicaliter in quaestione Doctoris Subtilis [280rb] superius allegata.

[80] Antiqui vero doctores, ut praedixi, videntur sentire oppositum. Unde Magister Ricardus de Mediavilla IV *Sententiarum*, distinctione 10, articulo 5, quaestione 1, [\[19\]](#) dicit quod ille modus existendi in eucharistiae sacramento transcendit facultatem naturalis luminis cuiuscumque intellectus creati, et ideo dicit quod nec a nostro intellectu dum est corpori virtus nec ab aliqua anima separata, nec etiam ab aliquo angelo potest naturaliter intueri; verumtamen ad hoc nullam rationem adducit; et ideo, ex una parte veterum urgente reverentia, et ex alia parte motivis subtilibus intellectum ligantibus, iudicat rationis epikeia quod in hac materia mihi sufficit sine assertionem temeraria sub silentio pertransire.

[81] **Tertia conclusio** est haec: intellectus beatus, licet intuitive prospiciat Christum in eucharistia, tamen actus suus beatificus non est sibi formalis cognitio ipsum intuendi ut existentem in eucharistiae sacramento. Ista conclusio quoad primam partem sequitur ex praemissa, quae tamen sic deducitur: non est maioris difficultatis in cognoscendo modus existendi in eucharistia quam sit modus trium personarum in una essentia; ergo, cum hoc beati intuitive videant, sequitur ad minus quod cognitio talis modi non excedit facultatem luminis gloriae beatorum. Cum igitur ipsi videant intuitive alia mysteria fidei, sequitur quod consimiliter est arbitrandum de isto. Sed secunda pars conclusionis probatur, quia in cognitione beatifica ut sic non includitur nisi obiectum beatificum. Cum igitur modus talis existentiae non habeat rationem obiecti beatifici, sequitur propositum. Ex quo apparet quod beati, praeter cognitionem beatificam, habent cognitionem de modo existendi in eucharistia, quae est cognitio rei in proprio genere.

[82] Ad dubium igitur recollectorie respondendo, cum quaeritur si aliquis intellectus creatus videre possit naturaliter existentiam corporis Christi in sacramento, apparet secundum viam veterum magistrorum quod non. Secundum viam vero Doctoris Subtilis, distinguendum est de intellectu, aut coniuncto aut a materia separato. Si primo modo, non potest propter dependentiam suae cognitionis a phantasmatibus. Si vero secundo modo, sic concedendum est, pro eo quod tali intellectui quodlibet obiectum creatum intelligibile est proportionatum. Et per hoc apparet qualiter est ad istud quartum dubium respondendum.

[83] **Quintum dubium** fuerat istud: si corpus Christi ut existens in eucharistia possit videri oculo corporali. Pro cuius dubii declaratione certas pono conclusiones, quarum **prima sit ista**: non est possibile corporeum oculum sola virtute luminis naturalis existentiam corporis Christi prout existit in sacramento aliquammodo intueri. Ista conclusio sic probatur: et hoc ex triplici radice, videlicet ex parte obiecti, modi, et medii speciem deferentis. Arguitur ergo primo sic: obiectum visus, secundum sententiam Philosophi, II *De anima*, [\[20\]](#) tripliciter sumitur, videlicet proprie, communiter et per accidens. Obiectum proprie sumptum [280va] sive proprium – quod pro eodem pro nunc habeo – est qualitas immediate et primo immutans sensum, ut sunt lux et color. Obiectum vero communiter sumptum sive commune est ipsa quantitas. Sed obiectum per accidens est substantia vel filius Socratis. Nunc autem, si oculus corporalis posset videre sua naturali virtute corpus Christi, aut videret per rationem coloris vel lucis, et hoc non, cum ibi non appareat nisi accidentia panis; nec per rationem quantitatis, cum ibi non appareant nisi accidentia panis, nec per rationem quantitatis, cum ibi nulla alia quantitas videatur, nec per rationem substantiae, quia quod cognoscitur per accidens oportet quod cognoscatur per rationes alicuius per se cogniti. Si ergo substantia per accidens videatur

a potentia visiva et ipsa potentia visiva non percipit aliquod per se obiectum in tali substantia, sequitur quod nullo modo poterit corpus Christi percipere prout existit in sacramento.

[84] Praeterea, vel visio fit per extramissionem vel per intus susceptionem. Non per extramissionem, ut patet per Philosophum in libro praeallegato; et patet etiam per rationem, aliter in tenebris possemus colores percipere, cum radius visualis ad colores terminaretur, nisi forsitan quis vellet dicere quod colores non sunt in actu in tenebris, sed tantummodo in potentia, sed ut fiant actu requiritur lux irradians supra colores. Sed istud non videtur verum, quia color est forma absoluta, et non habet in esse poni per solam irradiationem luminis supra colores, immo ut apparet talis irradiatio praesupponit colores. Et igitur apparet quod visio non fiat per extramissionem. Si ergo fiat per intus susceptionem, tunc oportet quod visio causatur ab obiecto; omnis autem talis visio fit per modum quantitativum, quia fit sub pyramide cuius basis est in re visa et conus in oculo. Si ergo corpus Christi ut in eucharistia existens posset videri ab oculo corporali sua naturali virtute, sequitur quod esset in sacramento circumscriptive. Consequens est falsum, cum sit totus in tota hostia, et totus in qualibet parte, quare propositum.

[85] Praeterea, numquam sensibile movet sensum nisi immediate attingat medium per quod fertur species sensibilis usque ad organum potentiae sensitivae; sed Christus ut in eucharistia existens non attingit aerem, qui est medium deferens speciem ad organum sensus; ergo sequitur quod Christus ut in eucharistia existens non potest ab aliquo oculo corporali videri sola virtute luminis naturalis. Consequentia et maior patet; et minor apparet, quia Christus ut in sacramento non est in loco circumscriptive; quare propositum. Et ita apparet quod tam ratione obiecti, quam ratione modi causandi, quam etiam medii deferentis Christus ut in eucharistia non potest sola virtute naturalis luminis intueri, quare propositum.

[86] **Secunda conclusio** est haec: Non est possibile corporeum oculum sola [280vb] virtute luminis ex redundantia beatitudinis oculum disponentis Christum videre ut in eucharistia persistentem. Ista conclusio sic probatur: nam signo lumen gloriae corporale in aliquo beato, videlicet claritatem illam quam habebunt pro dote corporis ipsi beati, et arguo sic: per nullam ipsius dispositionem potest fieri quod corpus Christi ut in eucharistia existens appareat alicuius quantitatis; ergo per nullam ipsius luminis dispositionem potest fieri quod corpus Christi ab aliqua visiva potentia videatur. Consequentia ista patet pro tanto, quia lux ponitur in medio tanquam declarativa obiecti ut ex hoc causet suam speciem ad organum; species autem causatur ab oculo corporeo per modum quantitativum; ergo, si lux non potest declarare obiectum fore alicuius quantitatis, sequitur quod talis lux non potest obiectum disponere ad causandum suam speciem et per consequens nec facere quod tale obiectum ab aliqua visiva potentia videatur. Sed antecedens apparet, quoniam nulla lux creata potest declarari quod existens in loco definitive et quasi modo indivisibili sit alicuius quantitatis, quia omnem apparentiam quam haberet angelus haberet et corpus Christi taliter existens. Sed constat quod per quamcumque irradiationem talis luminis numquam angelus apparet alicuius quantitatis, non solum quia est ex sua natura indivisibilis, sed quia taliter in loco subsistit. Cum igitur corpus Christi sit definitive in sacramento et nullo modo circumscriptive, sequitur quod per nullam praefati luminis dispositionem poterit corpus Christi ut in eucharistia existens ab aliquo oculo corporali videri, quod est propositum.

[87] Praeterea, lux corporalis quae non potest se diffundere supra obiectum non potest declarare illud obiectum. Unde experimur naturaliter in cavernis terrae quod, quia lux non se diffundit ibi propter obstaculum, ideo non possunt illa quae sunt ibi videri. Quamvis ergo obiectum ratione sui esset visibile, tamen, stante obstaculo impediante diffusionem lucis supra

obiectum, numquam per talem lucem potest obiectum videri. Cum igitur lux quae erit in corporibus vel oculis beatorum non possit se diffundere supra corpus Christi ut existens in sacramento, sequitur quod per illam numquam corpus Christi ut sic existens poterit videri. Consequentia patet, probatur minor: quoniam diffusio huiusmodi non potest fieri nisi per contactum quantitativum, sed nihil potest tangere aliud quantitative nisi quodlibet illorum sit in loco circumscriptive. Esto ergo quod corpus Christi ratione sui sit visibile et declarabile per talem lucem, tamen stante huiusmodi impedimento, numquam corpus Christi poterit per illam lucem ad visibilitatem disponi, quod est intentum.

[88] Praeterea, cuiuslibet lucis corporalis ad aliam lucem corporalem est aliqua proportio, quia una lux in declarando non excedit aliam infinite; sed lux quae erit in corporibus beatorum et lux quae est nunc in medio pro statu isto sic se habent quod quaelibet [281ra] illarum est corporalis; ergo sequitur quod unius ad aliam est certa proportio. Et tunc ultra: sed lux quae nunc existit in medio declarans visibilia pro statu viae, quantaecumque intenderetur, numquam faceret quod corpus Christus ut existens in sacramento videretur ab aliquo oculo corporali; ergo nec hoc potest facere quaecumque lux corporalis ex redundantia beatitudinis proveniens. Consequentia patet, et minor ultimo sumpta apparet per praecedentem conclusionem, tum etiam quia quantaecumque lux talis intenderetur, semper requireret diffusionem sui supra obiectum per quantitativum contactum, quare propositum.

[89] **Tertia conclusio** est haec: si intuitiva cognitio relationem attingentiae ad obiectum formaliter non includeret, possibile foret aliquem corporeum oculum habere aliquam Christi corporis visionem ut in eucharistia existentis. Ista conclusio primo declaratur: constat ex his quae dicta fuerunt in tertio articulo quaestionis supra Prologum [\[21\]](#) quod ad notitiam intuitivam duplex relatio requirebatur: una per modum mensurabilis et mensurae; alia vero quae erat quaedam attingentia ad obiectum in actuali existentia, quia talis notitia erat ut actualiter existentis, et hoc secundum viam Doctoris Subtilis [\[22\]](#) quam pro tunc tenui. Dico ergo quod, si ita esset quod notitia intuitiva non includeret talem relationem, sed esset quid mere absolutum, possibile foret aliquem oculum corporalem habere notitiam intuitivam corporis Christi ut in eucharistia existentis. Quae conclusio sic probatur: omnem effectum causae secundae Deus se solo potest in esse ponere, iuxta principium theologorum: ‘quicquid Deus potest facere mediante causa secunda, se solo potest facere.’ Cum igitur corpus Christi potest causare sui intuitivam notitiam in aliquo oculo corporali, sequitur, dato quod talis notitia non sit nisi quid mere absolutum, quod Deus potest sine corpore Christi talem intuitivam notitiam in oculo causare. Et per consequens, dato quod corpus Christi non esset nisi in sacramento, adhuc posset oculus corporalis corpus Christi intuitive conspiciere. Et hoc, ut supponitur, si notitia intuitiva posset fieri sine praesentia obiecti actualiter moventis ut praesentis et existentis. Ex quo apparet quod, quia notitia intuitiva non potest fieri sine tali praesentia obiecti, ideo videtur quod, absolute loquendo, secundum istam viam non est possibile aliquem oculum corporalem habere notitiam intuitivam corporis Christi ut in eucharistia existentis.

[90] Okan tamen, dominus Petrus Aureoli et magister Iohannes de Ripa, [\[23\]](#) quia aliter sentiunt de condicione intuitivae notitiae, ideo ipsi absolute concederent quod possibile foret oculum corporalem habere notitiam intuitivam Christi prout existit in sacramento, non per speciem ab obiecto causatam ad organum, sed solum per Dei omnipotentiam. Verumtamen advertendum est quod in notitia intuitiva generaliter sumpta possunt tres [281rb] gradus imaginari. Unus est quando notitia et obiectum sunt idem potentiae ita quod omnia ista concurrunt in identitatem realem, videlicet et quod videt et quod videtur, et quo videtur, et sic dicimus quod divina essentia habet sui ipsius notitiam intuitivam. Secundus gradus est quando

res videtur per causam, ut cum quis intuitive videt artem causalem alicuius effectus in qua relucet perfecte ille effectus, et isto gradu videt intuitive Deus creaturas per hoc, quod videt se ut artem causalem talis vel talis creaturae; et ista notitia vident beati in Verbo creaturas, quia vident creaturarum rationes causales, in quibus perfecte relucent. Tertius gradus est quando res videtur per suum effectum exemplariter causatum, et isto modo nos videmus pro statu vitae praesentis, quia obiectum causat suam speciem in nostra potentia, quae fundat duplicem relationem ad suum obiectum, et de ista notitia intuitiva fui pro tunc locutus quod non potest esse sine obiecti praesentia, et similiter hoc verum est de primo gradu notitiae intuitivae. Sed de secundo non oportet, quoniam Deus aeternaliter intuitive creaturas cognovit, quae tamen actualiter non existebant, et de isto modo nulla pro tunc fiebat mentio. Loquendo igitur de tertio gradu notitiae intuitivae, Deus non posset facere talem notitiam sine obiecto propter relationem inclusam in tali obiecto quae actualiter refert obiectum existere a quo talis notitia est creata, licet illud absolutum posset facere sine obiecto, sed pro tunc non esset notitia intuitiva obiecti, et sic est in proposito. Verumtamen, si notitia intuitiva isto modo sumpta non connotaret nisi praesentiam obiecti absque hoc, quod esset ab obiecto producta per modum superius expressum, non video aliquam impossibilitatem quin Deus posset causare in quocumque oculo, sive glorificato sive non glorificato, notitiam intuitivam corporis Christi, dato quod corpus Christi nullibi esset nisi in sacramento.

[91] Sed forsán diceret aliquis quod corpus Christi non posset esse sub modo sacramentali nisi esset sub modo naturali, quia modus sacramentalis praesupponit modum naturalem, et ideo talis notitia intuitiva non esset corporis Christi ut in sacramento, sed potius ut existentis modo naturali. Contra istud arguo sic: quandocumque natura aliqua est indifferens ad duos modos essendi, sicut potest stare sub uno modo essendi, ita potest sub alio; sed corpus Christi et quaecumque natura corporea aspiciendo ad Dei potentiam absolutam est indifferens ut existat circumscriptive vel definitive; ergo potest esse indifferenter sub quolibet illorum modorum, et ita corpus Christi posset existere modo sacramentali absque hoc quod existeret modo naturali. Consequentia et maior patet; et minor probatur, quia si natura corporis Christi non esset indifferens, hoc maxime videretur quia modus existendi sacramentaliter praesupponit modum existendi naturaliter; sed hoc non videtur verum, quoniam modus existendi sacramentalis dependet a solo Deo; igitur circumscripto [281va] quocumque alio, non minus haberetur modus ille. Et praeterea, Deus potest in esse ponere quodlibet sine positione cuiuscumque ab eo extrinseci, nam potest Sortem producere sine positione cuiuscumque extrinseci a Sorte, et hoc in ratione effectus; sed modus existendi naturaliter, hoc est circumscriptive per comparisonem ad corpus, est totaliter extrinsecus modo sacramentali, quia unus modus non est alius, nec pars alterius, nec per se requisitum in aliquo genere causae ad esse alterius modi; ergo simpliciter et absolute quam Deus potest conservare corpus Christi sine modo sacramentali, tam posset ipsum conservare sine modo naturali, ita quod solum sacramentaliter existeret. Et ex hoc apparet quod ista consequentia non valet de forma: ‘corpus Christi est in loco, ergo in loco circumscriptive;’ licet enim naturales iudicarent ipsam esse bonam, tamen in rei veritate ibi committitur fallacia consequentis, quare propositum.

[92] **Quarta conclusio** est haec: possibile est aliquem oculum corporeum corpus Christi ut in eucharistia existens cognoscere cognitione non intuitiva. Ista conclusio apparet ex hoc: quoniam Deus potest causare aliquam notitiam in oculo de existentia corporis Christi in sacramento, et illa non erit intuitiva, ergo propositum. Consequentia patet, et minor per ea quae dicta sunt in praecedente conclusione. Sed maior declaratur, quoniam signo nunc notitiam intuitivam quam aliquis beatus habet de corpore Christi in caelo. Et faciat Deus quod corpus Christi desinat esse in caelo, cum hoc quod sit in sacramento, conservando absolutum illius notitiae in oculo illius beati. Totus casus est possibilis. Tunc arguo sic: oculus istius

beati cognoscit Christum et non intuitive, ut apparet propter defectum relationis annexae ad obiectum tamquam ad causam producentem, ergo conclusio vera.

[93] Sed forsán dicitur quod talis qualitas desinit esse notitia talis obiecti. Contra: quod talis qualitas sit notitia talis obiecti non habet formaliter a relatione aliqua attingentiae, licet habeat quod sit notitia intuitiva; ergo stat quod desinat esse notitia intuitiva, quamvis non desinat esse notitia, sicut, si nunc video Sortem et Deus destruat Sortem conservando qualitatem illam in oculo meo, esto quod qualitas illa desineret esse notitia intuitiva Sortis, non tamen desineret esse notitia, quia adhuc per ipsam haberem iudicium de Sorte quod Sortes esset; licet causaret iudicium erroneum, non tamen propter hoc sequitur quod non sit Sortis notitia, et ita per omnia in proposito; et sic per consequens apparet quod oculus corporalis posset habere notitiam corporis Christi in sacramento, quae tamen non erit intuitiva.

[94] Ex qua conclusione sequitur correlarie quod non omnis cognitiva qualitas existens in sensu exteriori est necessario cognitio intuitiva. Patet de tali cognitione in praemisso casu. Et si dicatur quod nec est etiam abstractiva, cuiusmodi ergo cognitio? Dico quod, vocando abstractivam omnem illam cognitionem quae non attingit obiectum per modum praesentialem, sic talis cognitio bene foret abstractiva. Sed vocando abstractivam [281vb] notitiam creatam ex notitia intuitiva obiecti, sic proprie notitia huiusmodi nec esset intuitiva nec abstractiva, nec videtur impossibile quin Deus posset causare tale notitiam mediam, et hoc secundam viam quam alias tenui, licet, secundum viam tenentium quod notitia intuitiva potest esse absque obiecti praesentia, talis notitia esset intuitiva, quia esset cognitio praesentialis et directa actualiva eius super quod transit et quasi positiva existentis.

[95] Recolligendo igitur responsionem ad dubium, cum quaeritur si corpus Christi in sacramento possit ab oculo corporali videri intuitive, vel quaeritur virtute luminis naturalis, vel virtute luminis gloriae, vel virtute divinae potentiae; primo modo et secundo non potest; tertio modo distinguendum est de genere notitiae, aut fit mentio de cognitione intuitiva, aut abstractiva sive media. Primo modo secundum viam Doctoris Subtilis propter condicionem notitiae intuitivae non potest, licet secundum aliorum opinionem sit possibile. Sed loquendo de notitia secundo modo, sic nulla videtur impossibilitas. Extendendo igitur nomen visionis ad nomen cognitionis, sic posset concedi quod possibile est corpus Christi in eucharistia videri ab aliquo oculo corporali.

[96] **Sed contra primam et secundam conclusiones** arguitur sic: corpus Christi sine novo miraculo in sacramento eucharistiae videtur ab aliquo oculo corporali; ergo conclusiones illae falsae. Consequentia patet, et antecedens apparet, quia Christus videt se ipsum in eucharistia visione corporali, aliter si se non videret, sequeretur quod ut sic careret perfectione partis sensitivae, quod videtur falsum, quare propositum.

[97] Praeterea, potentior est ad penetrandum virtus luminaris oculi glorificati quam virtus luminaris lunae vel alicuius corporis inanimati; sed virtus luminaris lunae penetrat totam terram, aliter in eadem hora in qua causat fluxum maris in quarta terrae sibi supposita, non causaret in quarta sibi opposita, quod falsum est; ergo multo fortius oculus glorificatus potest penetrare virtute sui luminis totum medium et attingere corpus Christi.

[98] Praeterea, facilius est videre quod est actualiter existens, qualitercumque existat, quam illud quod nullo modo est; sed oculus noster potest videre illud quod non est; ergo a fortiori et quodlibet quod est, et hoc loquendo de eo quod cadit sub per se ratione obiecti illius potentiae. Nunc autem corpus Christi cadit sub obiecto potentiae visivae; ergo qualitercumque existat,

ex quo illud quod non est potest videri, a fortiori et illud quod est. Et minor apparet de illis qui videt castra et lepores quae non sunt, quare propositum.

[99: -96] **Ad istas rationes respondeo.** Ad primam, quae tangat difficultatem de Christo, si videt se in eucharistia oculo corporali, hic dico quod quia Christus habet visionem [282ra] sui ipsius in caelo, ideo per concomitantiam eandem visionem numero habet in sacramento, quia ibi non potest talis visio causari, ut declaratum fuit in probationibus conclusionum. {24} Unde, si per imaginationem Christus non esset alibi quam in sacramento, nec aliunde per divinum miraculum cognitionem sui ipsius haberet; non se ipsum videret in sacramento propter rationem saepius assignatam. Et cum dicitur quod hoc ponit in Christo imperfectionem, dico quod se videre corporaliter non est ad perfectionem suae beatitudinis. Unde potentia quaelibet sensitiva in eo esset quietata perfecte ex redundantia suae beatitudinis, dato quod nihil corporale conspiceret, et ideo nulla ex hoc ponitur imperfectio.

[100: -97] Ad secundum, quod tangit de penetratione luminis, dico quod visio non fit extramittendo, sed intus suscipiendo, et ideo requiritur quod obiectum causet speciem suam in potentia, non autem quod oculus mittat radios suos ad obiectum. Unde, dato quod lumen existens in oculo unius beati sit perfectius lumine lunae, non tamen ex hoc haberetur quod posset causare visionem obiecti, sed bene haberetur quod posset causare ita perfectum effectum sicut facit luna. Et ad tantam distantiam ulterius dico quod, dato quod visio fieri per extramissionem, adhuc non haberetur propositum, quia radius diffusus ab oculo ad obiectum requirit contactum corporalem cum obiecto, cuiusmodi non est in proposito, cum corpus Christi non sit in loco circumscriptive, et ideo non haberetur intentum.

[101: -98] Ad tertium, cum dicitur quod ex quo non-existentia videntur, a fortiori et ea quae existunt, hic primo dico, sicut alias dixi ad experientias, {25} quod notitia intuitiva non est respectu non-existentis. Unde, dato quod huiusmodi qualitates essent in sensibus exterioribus, adhuc tamen non essent notitiae intuitivae. Dico tamen quod timentes vel infirmi non vident nisi ea quae sunt praesentia, licet iudicent aliter. Unde timentibus iudicium erroneum causat fortis imaginatio cum praesentia sensatione, virtute cuius iudicat homo frequenter quod sensatum sit illud quod timet, ut verbi gratia habeo fortem imaginationem de aliquo inimico et aliquem respicio sensu exteriori visione debili quam vincit fortis imaginatio, ex quibus causatur iudicium erroneum, quod ille quem video est meus inimicus, et ita de aliis. Et ita fundamentum rationis nullum. Verumtamen, dato quod haberetur notitia per istum modum, adhuc propositio illa falsa est, et ratio est quia illud quod sic videtur percipitur per aliquam similitudinem corporalem cuiusmodi non potest causari a corpore Christi in eucharistia existente propter causam saepius assignatam. Et ideo non plus ratio concluderet de corpore Christi ut sic quam de uno angelo. Et sic apparet quid est dicendi de isto dubio, et per consequens de secundo puncto istius articuli secundi.